

AD TARQUINIAM
MOLZIAM, DIAM
Mulierem.

*Cui dono sapientum, nouum libellum,
Docto Cratorum pumice expolitum?
Tarquinia tibi. Namque tu solebas
Sophorum nimium amare chartas.*



VI enim omnium hominum laudabilis lubricationes meas donarem, quàm tibi, viraginum omnium, quot sunt, quot fuerunt, quotque alios erunt in annos, doctissimæ? Non tu uti alia solent, fummis labris libros attigisti. Tu non modo Hetruscam politissimam linguam sed Latinam, sed Græcam, optimè calles. Tu in hac non modo historicos atque oratores, sed & philosophos, sed & Platonem ipsum, Iouis eloquium æmulantem, Sed & poetas quoslibet, sed & Pindarum, sine hæfatione vlla, & legis & intelligis. Hanc tu, quod omnium hominum admirationem vincat, in Platone, tribus mensibus me prælegente edidicisti. Tu in Latina omnium generum carmina pangis, in Hetrusca poemata condis, quàm salita, Iupiter, atque arguta? Tu logicas omnes spinas demetisti. Tu moralem philosophiam, Plutarchicam, Aristotelicam, Platoniamq; ebibisti. Tu magnos profectus in Physiologia fecisti. Tu Theologiam catholicam, toto pectore hauifisti. Quid Musicen omnis generis referam? In qua te omnis, non modo Musicorum, sed & Musarum chorus & admiratur, & stupet. Te ne virorum quidem vllus in musica præstantissimorum, non modo non superat, sed nec adæquat. Cum ad hendecachordum canis, cum acutam grauenique eodem vtramq; tempore, alteram ad lyram pulfas, alteram cantas, Gratia te omnes ornant, circumstant, stupefcuntque. Quas vtinam possem ita exprimere, vt qui hæc legeret, te audire putaret. Sed Dij boni, quæ eloquentia? quæ argutia? qui sales? quæ iucunditas in conuersando? quæ humanitas? quæ vrbalitas? Longè merito iudiciosissimus Benedictus Manzolius cuius tuus, & Episcopus Regiensis te, non solum patri tuo Camillo viro eloquentissimo, sed etiam auo tuo, viro vsquequaque magno Francisco Mario Molziae audet præferre. His tottantisque ingenij ornamentis comites sese addiderunt,

B 2

Posveta Tarkviniji Molzi na početku trećeg sveska
Discussionum peripateticarum tomi IV